



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

§. 9. De Advocato Fiscali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

tur, & quascunque res, quæ apud carceratos reperiuntur, omniaque ad Advocatum pauperum referre, quem semel in Hebdomada, & quoties ob carceratos necesse fuerit, accedere tenetur.

3. Uterque etiam Procurator pauperum locum habet in Congregatione visitationis Carceratorum. Nihil vero omnino accipere possunt à pauperibus, nec etiam ab aliis carceratis, etiamsi divites sint, sine speciali licentia Gubernatoris, aut saltem pauperum Advocati. *Pius IV. Const. 87. §. 19. Paulus I. Const. 71. §. 16.*

§. 9.

De Advocato Fiscali.

1. *Fiscus & Camera in Curia distinguuntur.*
2. *In ea habetur duplex Fiscus favorabilis & onerosus.*
3. *Camera habetur pro Fisco favorabili.*
4. *Advocatus est simul Camere & Fisci. Quando diu duret ejus officium.*
5. *Quibus Congregationibus interfit.*
6. *Committitur ei etiam officium Procuratoris fidei.*

7. *Qualia habeat emolumenta.*

I.

Quamvis Fiscus & Camera in jure & à Jurisperitis non distinguuntur, nihilque aliud sit Fiscus, quam ærarium vel Camera Principis prout complectitur, quidquid ad illius commodum, & rem pecuniariam spectat, in Curia tamen Romana ex Stylo & modo loquendi illius reputantur diversa.

2. Cum enim in ea duplex habeatur Fiscus, alter est favorabilis & privilegiatus continens ærarium Principis conflatum ex juribus regalibus, aliisque publicis emolumentis, non ex multa vel pœnis corrogatum; Alter odiosus versans tam circa personales delinquentium pœnas, quas urgent Fisci Officiales, quam circa æs, quod ex multa & publicatione bonorum ob perpetrata crimina, & contumaciam conflatur.

3. Cum ergo Camera, licet sit Fiscus in primo & favorabili sensu, distinguitur tamen à Fisco in secundo sensu accepto, inolevit consuetudo in Curia, ut Camera dicatur diversa à Fisco, diversisque nominibus appellentur utriusque Procuratores, nam ille, qui est Camerae, dicitur Commissarius, ille

M m 2

vero

vero qui est Fiscus, appellatur Procurator Fiscalis.

4. Advocatus autem cum utriusque Procuratori in iis, quæ juris sunt, assistere & opem suam præstare debeat, dicitur Advocatus Camerae simul & Fiscus. Advocatum Fiscus primum ab Adriano Imp. institutum fuisse tradit Budæus in Pandectas *Tit. de Officio Quæstoris*. Munus ipsius olim annale erat. *l. Cum Advocato C. de Advocat. divers. Jud.* Deinde Biennale *l. Sancimus II. eod.* Nunc est perpetuum ad vitam, nisi promoveantur ad officia majora & incompatibilia.

5. Advocatus hic locum habet in Camera inter Camerales, & interest Congregationibus Computorum & Camerali, quæ pro juribus Camerae habentur coram Thesaurario. Præterea adest in Congregationibus Montium & Baronum, Immunitatis Ecclesiasticæ & Consistoriali; omnibusque aliis, in quibus agitur de criminalibus, & de rebus ad Fiscum, vel Camera Apostolicam quoquo modo pertinentibus; In iisque operam suam præstare debent gratis & absque ulla mercede; Potest tamen ab instigatoribus, propriam injuriam, vel inter-

interesse prosequentibus, si quid sponte dare voluerint, illud acceptare.

6. Plerumque etiam committitur huic Advocato munus Promotoris Fidei, hoc est Advocati Fiscalis, vel opponentis in causa beatificationis, vel cultus, aut Canonizationis servorum Dei; Ideoque interest quoque Congregationi Rituum, aliisque conventibus, in quibus de ejusmodi materia tractatur. Non admittitur tamen ad Tribunal Inquisitionis universalis, cum hoc proprium suum, & particularem habeat Fiscalem.

7. Emolumenta eadem habet hic Advocatus, quæ habet Advocatus pauperum, & quædam etiam majora, cum is scribere possit in causis criminalibus contra reos accepta mercede ab accusatoribus, vel instigatoribus, quod licet licitum sit, indecens tamen videtur, ideoque moderni ut plurimum ab hoc abstinere solent.

§. 10.

De Procuratore Fiscali & ejus Substitutis.

1. *Officium Procuratoris Fiscali.*

Mm 3

2. *Est*